

Vilosa de fugitivis, cap. 18. num. 19. & sic cum præceptum tempus delinatum non habuisset, & à die quo factum supponebatur usque ad diem necis ultra quadraginta dies transacti fuissent, quamquam clarè probaretur iussu Commentariensis extra clausuras adesse, transactis quinque diebus fori, vel tres assignati per Summos Pontifices, nequaquam ei imputandum erat, neque ex eo poena aliqua irrogari: nam si paruisset, poenam incurteret juxta Textum in l. 1. l. nemo carcerem, & Authent. hodie, C. de custod. reor. ibi: *Judices qui hæc non servant si majores sint, viginti librarum auri panam: si minores, decem solvant.* Obedientes autem eis in prædictis casibus, spoliati cingulo dentur in exilium. Loquitur in eo Textu, & in aliquibus præcedentibus, & subsequentibus de forma custodire reorum, & in ea Authent. postquam formam custodie feminarum tradidit, subjungit transgressoribus poenam; & licet de feminis loquatur, omnes casus præcedentes comprehendit; & posita dispositione fori, & Bullarum ratio decidendi evidenter subintrat, ita ut quicumque iudicibus obtemperaverit in exequendo excessum quoad clausuram, poenam hujus authenticæ incurrat. Circa quod videndi Cardinal. Cornæus, Bonifacius de Vitali, Marfilis, Ancarranus, Follerius, Parladorius, Jodochius, Boffius, Farinacius, & alii adducti per Salgado de Reg. protecl. part. 2. c. 4. ex n. 120. Ex quibus infertur quod seclusa culpa, potest similis præcepti implementum omitti, ne poena rigida privationis, vel exilii mulctetur: Vel saltem hæc dispositio excusationem præstabit, quia ut quis ab incursu poenæ excusetur, sufficit quælibet causa, etiam si bestialis dicatur, Text. in cap. cum teneamur, de prob. ubi Gloss. Ant. Gomez var. lib. 3. c. 6. n. 2. & ibi Aillon. Mastril. decis. 259. n. 31. lib. 3. Surd. decis. 86. 216. n. 49. & decis. 265. per tot. Don. Franc. Castillo decision. 188. lib. 2. Sesse decision. 221. ex num. 10. Anton. Amat. dict. resol. 72. numer. 33.

73 Sic Tertia ratio ejusdem impossibilitatis parendi: quod præceptum continebat clausuram quatuor Ecclesiasticorum, quorum duo sacris ordinibus initiati erant, & in laicorum carcere detinebantur iussu suorum Prælatorum, & hi nunquam subditi esse potuerunt iudicium Curie subventium, & sic quo-

ad eos nullius momenti præceptum fuit Text. in cap. adversus, de immunit. Eccles. c. saculares de for. compet. in 6. Authent. statumimus, Cod. de Episcop. & Cleric. exornant Covartuvias practie. cap. 33. numer. 1. Farin. quest. 8. num. 15. August. Barbof. in collect. ad cap. si judex, de sentent. excomm. in 6. & in Concil. Trident. cap. 6. sess. 23. de refor. Thom. del Bene de immunit. tom. 1. cap. 1. dub. 3. numer. 5. pluribus dixi dict. tom. 2. cap. 7. num. 7. Cujus rationem præbet Consultus in leg. factum 170. ff. de reg. jur. ibi: *Factum à iudice quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est, & in terminis culpa aut negligentia in custodia reorum, Text. in l. de militibus 9. ff. de custod. reor. ibi: de militibus ita servatur, ut ad eum remittantur, si quid deliquerint sub quo militabant.* Quo Vernuleius clarè respondit quod milites delinquentes, quoad custodiam etiam remittendi sunt ei sub quo militabant: si enim in militia armata hæc sunt quid dicendum de militibus caelestis militiae? quid de his de quibus cognoscere incapaces omnino laici reperiuntur? absque dubio majori cum ratione, quia nunquam de eis curare ad iudices laicos pertinere potest: cum non ab homine, de sent. excomm. c. 2. clerici de jud. c. 2. de for. compet. pluribus Barbof. in collect. ad hos Text. Placsa in epitom. de for. c. 38. numer. 7. Farin. quest. 22. n. 72. Scaccia de jud. c. 46. num. 3. Guazz. defens. 5. c. 4. num. 8. ad rem Sesse decis. 113. n. 79. cum segg. Trullench. lib. 8. decal. c. 1. dub. 8. n. 9. Novissimè Cortiada decis. 7. n. 49. & in his terminis neque ex culpa, neque ex negligentia Commentariensis, iudex laicus potest cognoscere juxta doctrinam Angeli in l. que sub conditione, §. fin. ff. de condit. & demonstrat. Farin. q. 13. n. 151. per plures segg. qui multos refert.

74 Et quanquam dicatur ad Commentariensem non pertinuisse hæc scrutari ut à delicto, & à poena excusetur minor causa sufficit, ut dixi numero 72. & dubitari non valet quod opprimendo Ecclesiasticos in ergastulis, vel arctiori Custodia absque iussione prælatorum, vereri justissime poterat incursum censuræ in cap. si quis suadente diabolo 17. quest. 4. ubi Barbofa num. 20. cum segg. & de jur. Eccles. cap. 39. §. 1. n. 8. qui plures & plura Thom. del Bene d. tom. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 3. & 18. n. 15. (quod

75 solum sufficit ut à poena inobedientiæ excu-

excusetur, sicut docuit Sesse decis. 221. num. 10.) Aded ut laicus qui de præcepto Abbatis, etiam si causa legitima præcedat, opprimat Religiosum, incurtere dicatur censuram, sicut probat Text. in cap. universitatis de sentent. excomm. ubi Augustinus Barbofa in Collect. n. 1.

80 Et nisi in casu expresse necessitatis, non excusetur laicus exequens coercitionem iussu Prælati; quia quælibet pressio, punitio, aut poenalis executio facienda in personis ecclesiasticis, per Ecclesiasticum fieri debet, Barbofa in d. collect. n. 2. quod firmat ex doctrina P. Suarez. tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 1. num. 42. & 43. Navarro, cons. 42. de sent. excomm. in antiq. & comment. 3. de regul. num. 52. Suarez de Paz, in pract. part. 5. tom. 1. cap. 3. §. 12. n. 49. Salced. ad Bernard. Diaz, in pract. c. 126. lit. E, P. 51, part. 3. comm. 110. num. 1. Farin. qu. 41. num. 15. Eman. q. regular. 19. tom. 2. art. 8. Cabed. decis. 83. n. 8. cum segg. lib. 1. Riccius, in prax. decis. 355. Coninch. de sacram. & censur. tom. 2. disp. 14. n. 190.

82 vers. 3. Quod solum limitatur in casu torturæ, quia non potest reperiri Ecclesiasticus qui eam exequatur. Et sic clarissime appareat, quod neque ad huc potestas in iudicibus ad jubendum clausuras Ecclesiasticorum, neque remansit obligatio aliqua obtemperandi; ac per consequens si in executione custodie experta fuisset aliqua negligentia, non pertinere ad laicum punitio; quia carcerati non suberant potestati illius, aut jurisdictioni: & sicut in casu fugæ, vel

84 obfractionis excusetur Commentariensis ex indebita, vel non ritè facta incarceratione, ut pluribus probat Farin. d. q. 31. num. 152. quamvis combroberetur omisso; sic similiter ex non debita, vel ritè facta detractione in ergastulis, si aliquid sequatur excusabitur Commentariensis, neque in iudicibus reperiebatur jurisdictione ad imputandum aliquid respectu clausuræ Ecclesiasticorum, quam de illorum præcepto facere non potuit.

86 Et in his terminis memorabar cujusdam observantia ejusdem Regie Audientie habita anno 1647. dum Fiscalis munus in ea gererem. Petrus Martinez Clericus minorum Ordinum, beneficium ecclesiasticum obtinens, iussu Prælati mancipatus erat in eodem carcere, competentiam suscitaveram prætendendo puniendum esse per iudices laicos quia enormibus se immiscuerat, de qua

competentia egi, tom. 2. de regim. cap. 7. §. 1. num. 13. & §. 1. per totum, ubi fundamenta excitande competentie tradidi. Dum disceprabatur an admittenda, esset, aufugit è carcere per januam, auxilio atque astutia matris, quæ cum sub vestibus reatum emisit. Et tunc Commentariensis non fuit punitus per Regiam Audientiam, ex eo quod carceratus non erat iussu ipsius, sed Prælati. Aliquibus mensibus clapsis idem Clericus captus fuit per familiam Regie Audientie, & positus de illius præcepto in turri nuncupata del Alquila adhibito speciali Custode, qui fuit Franciscus de Alcalá Apparitor: hic clausuræ curam omisit, & iterum fugie Clericus moenia civitatis transcendendo; & custos punitus fuit poena remigii; & ratio disparitatis erat; nam primo in casu iussu Prælati reo carcerato punitio pertinebat ad Prælatum, juxta Text. in d. l. de militibus 9. ff. de cust. reor. in secundo verò cum carceri consignatus esset iussu Regie Audientie, ad eam punitio omissionis in custodia pertinuit, per eundem Textum, & notat (quod ad rem pertinet) Commentariensem non fuisse punitum, sed adiutorem specialem ex Text. in d. l. 4. C. de custod. reor. quanquam illa turris pars istius carceris sit; sed quia remota à commercio carceris, verificabatur necessitas absentie Commentariensis.

Quæ omnia maximopere procedunt 88 & procedere debent, quando Commentariensi, prout in nostra specie, non aperitur causa propter quam sub arctiori custodia apponi rei jubentur; nam ex causa dispositiones ordinandæ erant ad finem; diversa enim dispositio adhibenda est quando fuga præveniendi est, atque quando homicidium pattandum timetur. Et licet ex consequentibus detecta fuit ratio præveniendi periculi, hoc non poterat percipi per Commentariensem; imò justè, à communiter contingentibus, potuit credere clausuram ordinatam fuisse ne carcerem effringerent, & non quod Doctor Petrus Navarro interimendus esset in eodem carcere ab illis Ecclesiasticis, qui cum eo amicitiam intrinsecam fovebant: & juxta noticiam operationes dirigendæ erant. 88 Et quamvis plures ex testibus concluderent quod non fuisset patratum homicidium si Commentariensis adimplet præceptum; post detectum maleficium

cium facilis erat perceptio intentionis præceptis: sed antea quam executioni deduceretur, nemo est qui de præsumptione, noticia vel rumore hujus accidentis deponat: & Commentariensis non tenebatur divinare quidquid evenire poterat, arg. Text. in l. si fidejussor. §. si cum debitor ff. mandati, ibi: ignoscendum est enim ei si non divinavit debitorem solvisse, c. Beatus 22. quæst. 2. Farin. g. 31. n. 159.

Sed obijci poterat Commentariensem teneri de cunctis quæ in carcere eveniunt, & sic licet cessaret crimen transgressionis præcepti, tenebatur ex necesse subsequi in carcere, l. carceri præpositus 8. ff. de custod. reor. ibi: Carceri præpositus: spiritio corruptus, sine vinculis agere custodiam vel ferrum, venenumve inferri passus est, officio iudicis puniendus est, si necis, ob negligentiam renovendus est officio. Vel ob culpam custodis quem adhibuit, l. si. ff. eod. ibi: non est facile ironi custodia credenda, nam ea prodita is culpa reus est qui eam ei commisit. Et ibi: sed si se in custodia interfecerit, vel præcipitaverit, militi culpa adscribitur, id est castigabitur: cum aliis traditis per Farin. g. 31. per tot. Quibus sanctionibus congruere videbatur sententia privationis, relativa ad acta per quæ apparebat hos Ecclesiasticos arma in carceribus habuisse, quæ aservabantur ab illo custode de pravo Antonio Aleman, qui ea distribuere videbatur inter illos, quando Commentariensis aberat: cum autem is electus fuerit ab ipso Commentariense, teneri ex culpa custodis videbatur.

Ut ista diluantur suppono Commentariensem accusari, vel puniri non posse ex dicitione Text. in d. l. ad Commentariensem, c. de custod. reor. quia nullus ex carceratis à custodia aberat, de quo autem accusabatur erat juxta Text. in d. l. carceri præpositus 8. & d. l. si. Et quoad primam partem Textus, in d. l. 8. ibi: si pretio corruptus, immunis reperiebatur, cum nullus ex testibus deposuisset de corruptione, pretio dato, vel promisso ab aliquo ex Ecclesiasticis: & quæ de posterant illi duo testes respectu aliorum reorum destructa remanent ex dictis supra, num. 42. & 46. Et sic omnino aberat ab actis probatio turpitudinis, vel corruptionis pretio, & sic prima pars decisionis Textus non erat ad rem: ac pariter cessabat causa permitrendi degere extra clausuras, quia cessante præ-

mii traditione promissionéve, nulla alia in actis probabatur; quod ex se est exclusio delicti, cum nemo sine causa præsumatur delinquere, Castren. in l. summum, §. si. ff. de dam. infect. pluribus Farin. g. 50. num. 31. & g. 52. num. 150. imò è contra h. is. in quem causa delinquendi probatur, præsumitur deliquisse, Farin. dicit. g. 52. num. 144. cum seqq. Ex quibus concludebatur quod extrane liquidissima probatione amicitie intimæ dicti Antonii Aleman cum Ecclesiastico illo qui interemit, & complicitatis cum illo in plurimis maleficiis, & receptionis munerum tam ab ipso, quam ab aliis Ecclesiasticis, facinoris participibus, per testes summarie: clarissime sequabatur illum fuisse opificem hujus criminis, non autem Commentariensem. Quo posito solum remanet inquirendum an culpa punibilis resultet ex propria negligentia, vel quia Custodem elegisset ad aliquid teneretur?

Non enim culpa punibilis resultabat ex negligentia propria, ex eo quod ex dictis testium in summaria receptorum, & ex productis in defensionibus apparebat, de summa cura, & assidua vigilantia quoad executionem præcepti, in quantum ad se attinebat de fidelitate atque integritate in custodia reorum per plures annos, sine eo quod aliquis ex quamplurimis si commissis fugam consequutus fuisset, licet pluries intentata fuerit cum violenta effractione atque tumultu: imò verificabatur quod dum unam ex effractionibus inrentatis impediit, vulnera lethalia passus fuit, & specialiter quo ad hoc factum, quia per omnia adimplere præceptum conatus est, & ex necessaria assistentia in vestibulo ad expeditionem negotiorum, & custodiam præcipuam, nequibat cernere, aut impedire quæ sursum fiebant.

Hoc supposito consideranda venit magna differentia quæ versatur, inter culpam imputatam Commentariensi ex fuga carceratorum, ab ea quæ irrogabatur ex necesse patrata in carcere: quia in primo casu cum præcipua muneris cura versetur circa custodiam reorum directè gravatus remanet Commentariensis quoties dolo, vel culpa lata, levi ac levissima reus eximitur ab ipso carcere de custodia, ut est de mente omnium Doctorum, in d. l. ad Commentariensem, & pluribus probat Farin. d. g. 31. ex numero 10. Et in eo casu semper præsumitur

100 tur Commentariensem in culpa esse, si reus fugam arripit ea ratione scilicet, quia carceratum, prout debuerat in vinculis non tenuit, Farin. d. g. 31. num. 34. Et adhuc hæc regula non procedit absolute limitatione, ut ipse subjungit, ibi num. 35. ex Text. in l. ff. de custod. reor. 101 ibi: Si criminis qualitas etiam carcerum acerbiter requirat aliàs secus. Vel ex personarum qualitate argumento Text. in l. de his, c. de custod. reor. ibi: numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum Ordines, etatèque vincitorum. Quæ quidem limitationes, etiam si casum fugæ cum casu mortis equiparate velis, in hac specie verificabantur, quia neque de causa constabat ob quam Ecclesiasticis meruissent acerbiteram clausuræ, & ergastuli, & ratione status, squalem arctioris claustris pati non poterant: & adhuc si hæc omnia deficiant, quando fuga ex casualitate procedit ab-

102 solvendus Commentariensis est. d. l. miles 12. in fin. ff. de custod. reor. ibi: si fortuito amiserit nihil in eum statuendum est. Latè Farin. d. g. 31. num. 216. Maltril decis. 274. num. 267. Joann. Bapt. de Thoro, in compend. decis. tom. 3. verb. carceratus qui relicto, ad med. 103 In secundo casu necis non probedit Textus decisio, quia non irrogatur culpa necis directè ratione necis, sed indirectè ratione permissionis infertendi venenum vel ferrum, d. l. carceri præpositus, ibi: vel ferrum venenumve inferri passus est. Atque adeo probanda venit specialiter patientia, aut tolerantia, illationis armorum, aut ad minus comportsari probabilitas, scientie, ut notant Doctores, in l. quemadmodum 39. §. Magistratus, ff. ad leg. Aquil. Plaza in epu. delict. cap. 23. n. 17. Farin. d. g. 31. num. 17.

104 Mascard. tom. 1. conclus. 267. num. 1. & 5. Guazzin. defens. 6. cap. 1. num. 48. Cum autem nihil ex his probaretur puniri ex necesse non poterat. Quæ patent ex eo, quod tolerantia expressa in actis non probabatur; cum nullus testium depo- 105 neret de ea dicendo, Commentariensem passum fuisse arma inferri in carcere, vel ab aliquo ex reis deferri; imò contrarium, quia plures testes concludebant, quod arma, si quæ deferrebantur per reos, abscondebantur eo ipso quo noticia perveniebat assensus Commentariensis à vestibulo ad carceris habitacula, & à dicto Antonio Aleman servabatur, & illo absente iterum distribuabantur per D. D. Laur. Matheu, de Re Crim. Pars I.

ipsum. Et si aliquando apprehendebatur arma reis, illic auferebat, & superioribus denunciabat: & quod non obstantè quod aliqui reorum essent exempti, personas eorum improvisis horis perquirebat, & arma inveniendò apprehendebat, quod curare de observantia legis est, non autem pati illationem eorum. Neque aliud credibile, aut verisimile erat, nam si solus Commentariensis, cum tribus, aut quatuor custodibus, curam gerit universi carceris, in quo ad minus plusquam ducenti rei in custodia sunt, & ex his plures Banniti, facinorosi, atque pravissime qualitates, enormibus impliciti, atque omni seclerum generi addicti, quis credere poterit arma eis permisisse nisi fatuus esset, ac vitam propriam despiceret? Tolerantia præsumptiva ex eisdem rationibus exclusa remanet: & adhuc non comprobabatur, quia, ut dixi, necessariam assistentiam habere teneatur in vestibulo, tum ex necessitate muneris, tum etiam ex consuetudine, quo in casu limitatur conclusio, ut tenet Nicolaus Boerius, decis. 217. n. 4. ibi: & ista est vera conclusio, quam limitat primo Baldus in d. cons. 230. quando custos custodisset modo & forma quibus homines carcerati in eodem erant soliti custodiri, hoc tunc excusatur. Farin. d. g. 31. n. 21. & 23. quo speciem extraordinariam proponit, & tandem concludit ad rem, ibi: ac bene 107 considerata, & inspecta qualitate, & fidelitate custodis, quem in aliis custodiis fidelissimum, & diligentissimum expertus fuerat, juxta superius dicta, num. 21. & 22. diligentem & examinatum custodem, ipsum extra omnem culpam detrebendebat, & demum n. 126. limitando regulam casu quo per diligentiam in custodiendis carceris reis probatur quod cessat negligentia, subjungit cessare pariter penam, quod latissime fundat pluribus reatis, concludendo, ibi: Hæc limitatio non solum est communis, sed nemo reperitur qui illi contradicat. Cum enim neque absentia probaretur à custodia præcipua, neque omis- 108 sio in requirendis reis, neque amicitia aut aliqua necessitudo cum aliquo ex 109 ipsis, neque receptio munerum, aut tolerantia descendendi ad vestibulum, licet hoc ei permissum sit per Text. in l. 1. c. de custod. reor. neque allegationis prætextu, aut inferendi arma, nihil remanebat ex quo accusari posset.

Sed dices, quo pacto introducta arma fuerunt, quæ deferrebantur à reis, & M 2 quæ

qua: per Antonium Aleman abscondita, & rursus distributa dicebantur. Et facilis est responsio, quia facilius Commentariensis illud poterat, quoad eorum introductionem; cum arma essent pugiones, & instrumenta manualia, vulgo pistoles, de quibus testes deponabant, nempe inter linteamina ad usum carceratorum frequentissime introducta perneceffe, aut per fenestras mansionum inferiorum nuncupatarum los cubos, quae, ut dictum est descriptione carceris, aditum praebent rebus parvi ponderis, & voluminis. Si enim carcer Valentinus sic constructus est, ut haec faciliter admittere possit, quare imputabitur Commentariensis, qui in loco remotissimo adesse debet ex officii necessitate? ipse enim, ut apparebat ex actis, fecerat quod in se erat, ob quod culpa punibilis in eum non resultabat. Plaza. d. c. 23. n. 17. vers. caterum. Farin. d. g. 31. n. 45.

111 Ex culpa Antonii Aleman adhuc non poterat accusari, & multo minus condemnari, quia licet Text. in d. l. fin. Electori custodis culpam irrogat, & Farinacius pluribus relatis ampliando conclusionem sequatur d. g. 31. n. 39. Hoc tamen procedit quoad fugam de qua non poterat accusari: sic colligitur ex verbis Textus, ibi: ea prodita culpa reus est qui eam ei commisit. Et adhuc data absentia commentariensis non ei imputandum, sed adjutori ex d. l. 4. C. de custod. reor. ut dixi n. 64. Non autem in casu necis, quia de eo Text. non loquitur in prima specie, & in secunda non de necis ab extraneo illata, sed ab ipso reo, & in his terminis nunquam admittitur acerba dispositio Text. in d. l. ad commentariensem, cum puniendum eadem poena qua reus puniendus erat, sed alia arbitraria: probant Grammat. foto 9. Claros g. 68. n. 8. Boer. decis. 106. n. 3. Mascard. concl. 469. Thoro, in comp. decis. p. 1. verb. custos carceris. Qui loquuntur in casu fugae per portam, quam custos electus per commentariensem apertam reliquit, & magna versatur differentia inter fatalitate contingenter commissam in carcere, & negligentiam culpa latissima factam per custodem, sanam apertam relinquendo, quando ex necessitate muneris clausam habere tenetur. Et adhuc in isto casu plures limitationes conclusio admittit. Quarum primam ponit Farin. ibid. n. 55. scilicet quando custos tempore electionis habebatur pro idoneo, fideli, atque

diligente. Et quod Antonius Aleman has qualitates obtineret, iudicio eorum quibus notus erat, in quantum conditio personarum, quae haec officia obtinent paritur, comprobatur ex actis, & sic ex hac ratione Sebastianus Texidor sive commentariensis absolvendus erat; quia, ut dixit Farin. d. n. 55. ibi: Non procedere quando custos substituitur a principali commentariensem tempore substitutionis, erat tentatus & reputatus communiter diligens, & fidelis ex eo patet quia alias sic in aliis custodiis se bene & fideliter gesserit: namque tunc si fuerit in aliqua culpa vel dolo, commentariensis qui eum deputavit non tenetur.

Secundo quia ex consuetudine inventata, ut probabatur ex actis, & notorium est, Commentariensis Valentini hos custodes defumunt ex Birroariis Regiae Audientiae: qui licet in familia sint officiales infimi, tamen in eo ordine reperiuntur publica auctoritate probati; cum superioribus deserviant in captura reorum, persecutione facinorosorum, citationibus, injunctionibus, & adhuc per foros eis necessitate committenda sunt executiones exiguae summae, nempe centum librarum & infra, hoc est mille drachmarum sive regalium argenti. Quod sufficit ut Commentariensis eligens excusetur: quia eligens publica auctoritate probatum non tenetur ad aliquid superveniens Text. in l. generaliter. §. sparios, ff. de decur. gloss. in l. fin. in princ. ff. de cust. reor. Farin. in d. g. 31. n. 56. Si enim ex his eum destinavit ex quibus consuetudo introductum habet ut destinatur, quomodo electio in culpam imputari poterat; potest ne quis ab astutia, cavillatione, technis atque versutiis hujus farinae gentis liberari? reperitne vigilantia praevens insidias inopinatas? Quando enim commentariensis nulli alii calamitati obnoxii reperirentur praeterquam huic sustinenda poena ex culpa aliena se esse inevitabili, commiseratione dignos crederem in cunctis praeterquam in his quae ex propria culpa, vel dolo committuntur.

Tandem quia in casu necis carcerati non tenetur alius praeter illum cui culpa ascribitur: sic dixit Consultus, in d. l. fin. ibi: Militi culpa ascribitur, id est castigabitur, ita ut non dixerit, Carceri Praeposito, ut de corrupto pretio dixerat, in d. l. 8. Non qui eam ei commisit, sicut in d. l. fin. in princ. sed militi, hoc est ei cui immediate cura mandata erat, & dum Confusus

sultus discretive de omnibus loquitur, si Praepositus puniendus esset ex culpa militis ratione necis pariter expressisset: & cum haec sit dispositio poenalis, restringenda venit, & strictissime interpretanda ex dictis contr. praecep. num. 5. Haec omnia comprobantur exemplis rerum judicatarum, consuetudinem judicandi in eadem Regia Audientia inferentibus, l. filius emancipatus 14. in fin. princ. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. ibi: sic enim invenit Senatam censuisse, pluribus Valenzuela in terminis Regiae Audientiae Valentinae, conf. 40. n. 55. & segg. Et sic videbatur Commentariensem absolvendam esse, & revocandam sententiam. Quod de jure procedere indubitanter teneo, juxta factum resultans ex actorum transumpto quod vidi. Si quid sub herba latebat, exitus causae demonstravit.



CONTROVERSIA XIX.

De negligentia Commentariensis in custodia, & an teneatur de homicidio, facto in rixa, orta ex recuperatione rei exempti fraudulenter.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Dans operam rei illicita tenetur ratione cuiusvis criminis inde sequentis.
- 3 L. quoniam multa facinora, C. de vi pub. exponenda proponitur, & n. 13.
- 4 Concordantia iura memorantur cum Doctoribus conclusionem firmantibus, etiamsi mortuus sit ex parte invasoris.
- 5 De jure Hispano idem procedit.
- 6 Extrahere reum a loco immuni criminis punibile est.
- 7 Extractio rei ab Ecclesia violenter punibilis est, tam per Judicem ecclesiasticum, quam per laicum.
- 8 Commentariensis negligens in custodia punitur eadem poena, ac reus emissus a carcere.
- 9 Commentariensis non solum tenetur ex dolo, sed ex lata culpa, levis, & levissima.
- 10 Commentariensis non tenens reum in vinculis, dicitur negligens.
- 11 Condemnati ad rivremes, & Praesidia, compediibus debent detineri.
- 12 De jure Hispano idem procedit.

D. D. Laur. Matthaei, de Re Crim. Pars I.

- 13 Dans operam rei illicita non tenetur de eo quod sequitur, nisi violentia sit ordinata ad illum finem, & probabiliter excogitari poterat.
- 14 De jure Hispano haec limitatio procedit.
- 15 Armatus dici non potest, deferens enssem prout de more habet.
- 16 Dispositio, d. l. quoniam multa facinora, non comprehendit eum qui iusto recuperare intendit possessionem recenter amissam.
- 17 Aggressor pro recuperatione possessionis recenter amisse solum tenetur de excessu.
- 18 L. fin. §. 2. ff. de custod. reor. expenditur.
- 19 Commentariensis negligens non punitur eadem poena, sed mitiori iudicis arbitrio.
- 20 A prodicione nemo praecaveri potest.
- 21 Si reus vestibus foemineis a carcere per portam emissus fuerit, Commentariensis non tenetur.
- 22 Nimia negligentia, dolus, vel lata culpa requiritur, ut locus sit dispositioni, l. ad Commentariensem, C. de custod. reor.
- 23 Legibus Hispania in casu doli, vel culpa Commentariensis punitur eadem poena, ac ipse reus.
- 24 Commentariensis ex negligentia mitius punitur per leges Hispania.
- 25 Et adhuc mitius per leges novissimas, nempe poena carceris per annum.
- 26 Quae dispositio procedit quoties reus non venit pleciendus poena capitali.
- 27 Decisio Aule.



UM in Regio Curiae carcere detineretur Emanuel Gutierrez, condemnatus ad poenam Praesidii per octo annos, pro crimine furti cum adolescens non deformis vultus reperiretur, fraudulenter fugere destinavit ad quod obrinendum primum a tonsore lanuginem barbae, jam pullulantis, radi curavit: Deinde Maria Andrade vetula sagace auxiliante, habitum muliebrem induit, comam more foemineo adornavit; & medicamine faciem fucavit, ac tandem foemina reputatus per portam palam evasit, die 17. Aprilis anni 1659. Commentariensis, qui cum exemptum cognovit, ut poenam negligentiae evadere posset, recuperare eum procurabat; & cum notitiam habuisset, confugisse ad coenobium D. Martini, associandum.